



## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Articulus I. Quomodo voluntas moveatur ab intrinsecis principiis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

quem vitare non potest. Et: Non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignores. Acl. de vera relig. c. 14. Usque adeo peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et hoc ita manifestum est, ut nulla indoctorum turba discentiat.

Colliges ex dictis. Illorum jurium & legum ignorantiam non reputari invincibilem, quarum cognitio pertinet ad alicujus officium, & adhiberi morali diligentia obtineri potuit. Unde non excusantur per ignorantiam Christiani nescien-

tes, quæ pertinent ad hominis Christiani officium; neque Clericus aut Religiosus ignorans obligationes statûs Clericalis aut Religiosi, &c. cum enim susceptioni alicujus officii annexa sit obligatio procurandi sufficientem notitiam omnium obligationum ad munus illud ritè obeundum pertinentium, hoc ipso quòd quis debitam diligentiam in hac notitia procuranda intermittat, legum transgressiones ipsi efficiuntur indirectè & interpretativè voluntariæ.

## DISPUTATIO VIII.

DE

### Actibus humanis in specie.

Quæ S. D. à q. 9. usque ad 20. inclusivè disputat, hæc disputatione complectimur, & primò modum, quo voluntas ad actum procedit; quo vel seipsam movet, vel ab aliis principiis tum intrinsicis tum extrinsicis movetur; denique ipsorum humanorum actuum naturam, distinctionem, Oeconomiam, & coordinationem contemplamur.

#### ARTICULUS I.

##### Quomodo voluntas moveatur ab intrinsicis principiis.

###### SUMMARIUM.

1. Impossibile est, ut voluntas appetat malum sub ratione mali.
2. Non datur in voluntate affectus neuter.
3. Intellectus movet voluntatem in genere causa finalis, & formalis extrinsecæ.
4. Diluuntur objecta.
5. Appetitus sensitivus in voluntatem insluit indirectè quoad specificationem actûs.
6. Auctoritates S. Script. non evincunt efficaciam effectivam.
7. Implicat voluntatem ferri in incognitum.
8. Amor mysticus non est sine operatione intellectûs.
9. Ad actum deliberatum requiritur iudicium rationis.

###### §. I.

###### Influxus intellectûs in voluntatem.

Suppono primò ex dictis in 1. disp. adæquatam objectum voluntatis esse bonum, ita ut nullâ ratione possit appetere malum sibi ab intellectu propositum sub ratione mali: sicut enim est impossibile ut intellectus assentiat falso quâ tali, quia adæquatum ipsius objectum est verum; ita neque possibile est voluntatem prosecutivè tendere in malum, cum adæquatum objectum appetitûs sit appetibile, h. e. bonum.

Suppono secundò contra Scotum, non dari in voluntate affectum neutrum, ut vocat; h. e. talem actum, qui nec sit de fine, neque de mediis ad finem. Nam bonum vel appetitur propter se, vel propter aliud: sed in omni actu voluntatis reperitur appetitus boni tanquam objecti adæquati: ergo vel illud bonum appetitur propter se, vel propter aliud; si propter se, tunc est boni-

tas finis; si propter aliud, est bonitas mediorum. Confirmatur. Omne bonum vel est honestum, vel delectabile, vel utile; si honestum, vel delectabile, tunc habet bonitatem finis; si utile, tunc habet bonitatem mediæ ad finem. His positis quaritur quomodo & in quo genere causa voluntas moveatur ad suum actum ab aliis potentiis à se distinctis, nempe ab intellectu, & ab appetitu sensitivo. Pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO prima. Intellectus per objectum à se propositum in genere causa finalis & formalis extrinsecæ specificantis insluit in actum voluntatis. S. D. hic q. 9. a. 1.

Ratio est: Motio objectiva, quâ voluntas per ostensionem boni & finis ad actum allicitur, & ad certam speciem actûs determinatur, pertinet partim ad genus causæ finalis, partim ad genus causæ formalis extrinsecæ: sed intellectus voluntatem non aliter movet ad suum actum, quàm proponendo & præsentando ei suum objectum, ut docet S. D. in c. ergò.

Dices primò. Imperium efficax est actus intellectûs: sed iste efficienter & executivè determinat voluntatem; ergo intellectus etiam efficienter voluntatem determinat ad suos actus.

Secundò. Voluntas habet causam efficientem suorum actuum non tantum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem: sed ipsa non est causa efficiens suorum actuum quoad specificationem; neque enim ipsa potest esse ratio, cur actus sit hujus potius, quàm illius speciei; ergo intellectus est causa efficiens actuum voluntatis quoad specificationem.

Resp. ad 1. dist. min. efficienter determinat volun-

voluntatem vi efficacia sibi impressa per prævium voluntatis actum, concedo; sine illo, nego: ergo intellectus efficienter movet voluntatem, ex propria solam ratione, nego; ex efficacia ipsius voluntatis sibi communicata, conc. Ad 2. nego min. & probationem distinguo: Voluntas præcise secundum se sumpta non potest esse ratio, cur actus potius sit huius quam illius speciei, concedo: supposita indifferenti propositione objecti, nego: tunc enim ex intrinseca sua electiva & dominativa virtute habet, ut se determinet efficienter tam ad exercitium quam ad speciem actus.

## § II.

*Influxus appetitus sensitivi.*

5. **CONCLUSIO** secunda. *Appetitus sensitivus in voluntatem tantummodo insuit ex parte objecti indirecte & quoad specificationem actus.*

Ratio est: Passio, vel affectus appetitus sensitivi est remota ratio, quod objectum proponatur ut conveniens vel disconveniens: sed objectum propositum ut conveniens vel disconveniens specificat actus voluntatis: ergo passio vel affectus ab appetitu sensitivo proveniens est remota ratio, cur voluntas huius vel illius speciei actus producat: & hoc est indirecte & remote influere in specificationem actus. Major constat per experientiam: quia quo modo aliquis est per affectum & passionem dispositus, taliter solet de objecto indirecte judicare.

6. Dices, S. Script. & S. D. tribuunt passioni vim abstractam & impulsivam voluntatis: sed hoc secundum proportionem objectorum significat effectivam impressionem in voluntatem: ergo, Maj. patet ex ep. ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, & captivantem me in lege peccati* Jac. 1. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus & illicitus.* Dan. 13. *Concupiscentia subvertit cor iustum.* Et S. D. q. 26. de Ver. a. 6. *Ex concupiscentia voluntas inclinatur ad consentiendum concupiscenti, vel ex ira ad volendum vindictam.* & a. 7. *passiones, inquit, impellunt voluntatem.*

Resp. Cunctis hisce autoritatibus tantum significari impulsivum & motionem illectivam seu allectivam (ut ostendunt verba Jacobi) tenentem se ex parte objecti, non proxime, sed remote in quantum intellectus propter passionis vehementiam remissius proponit honestatem objecti, & efficacius proponit delectabilitatem objecti concupiscentibus.

## § III.

*Corollaria.*

7. **Colliges** ex dictis primò: Neco per absolutam DEI potentiam fieri posse, ut voluntas in incognitum tendere, sive sine prævia cognitione quicquam velle possit: ut docet S. D. a. 1. juxta commune axioma: *Nil volitum, quin præcognitum:* & *Ignoti nulla cupido.* Et D. Aug. l. 8 de Trin. c. 4. *Nullo modo potest amari ignotum, licet possit sciri, quod non diligitur.* Et l. 10. c. 2. *Rem prorsus ignotam nemo diligere potest.* Ratio ex dictis est: Implicat voluntatem vitaliter operari, priusquam habeat objectum, à quo moveatur &

specificetur: sed absque prævia cognitione non habet objectum: ergo. Min. probatur: Objectum voluntatis est bonum determinatum objective alliciens, & ad certam speciem objective determinans: sed hoc non est bonum incognitum: neque bonum aliter alliciat & ad hanc speciem actus determinat, nisi quia est ab intellectu propositum sub ratione convenientis: ergo.

Unde non sunt audiendi, qui ex eo quod Mystici Theologi cum S. Dionysio in 1. de Theol. myst. asserant, supremam unionem huius vite cum DEO, fieri per doctam ignorationem & ablationem omnium operationum sensuum & intellectus, eamque idcirco appellent caliginosum amorem, ortum intellectus & inferunt, mysticum illum amorem, & ecstaticum perfectissimam dilectionis actum, quo sanctiores animæ in hæc vita DEO uniuntur, fieri absque ulla cognitione: nam, ut contra astruit comm. Scholasticæ & Mystice. teste Augustino à V. M. tr. de char. sput. 26. q. un. & Herinex in p. 2. disp. 2. q. 4. Jo. à I. M. de Theol. Myst. dub. 11. D. Dionysii, aliorumque ita loquentium mens est, quod in illo sublimi amore intellectus quietescat à negotiosa conversione ad phantasmata, conceptum, discursuumque laboriosa indagine; non autem negant, quin voluntatis actum præcat fixa quadam & tranquilla divina bonitatis contemplatio: alias certe facerimus ille actus charitatis, cum non procederet ex cognitione, neque liber esset, ac proinde nec meritorius: nec fore participatio divini, & beatifici amoris, qui secundum dicta, præviam visionem supponit.

Colliges secundò. Ad imperfectos & illectos & beratos actus voluntatis sufficere simplicem apprehensionem objecti: ad actus vero delectatos requiri iudicium rationis. Ratio 1. p. est: quia potentia naturaliter inclinata ad bonum, movetur; si ipsi bonum appetibile debite representatur, sicuti objectum sensibile sub ratione convenientis vel disconvenientis, per simplicem notitiam sensus representatum sufficienter movet appetitum sensitivum: sed potest voluntati per simplicem apprehensionem representari objectum sub ratione boni sibi convenientis: ergo potest voluntas ceu appetitus naturaliter inclinatus in bonum suppositi per simplicem apprehensionem objecti moveri ad aliquos actus imperfectos & primò primos.

Neque dicas: Voluntas non potest moveri nisi sit certa de bonitate actus: sed ante iudicium non est certa: ergo. Resp. negando vel dist. maj. nisi sit certa vel exercite vel signatè, transeat: nisi sit certa signatè, seu in actu signato, nego. Sed sine iudicio non est certa signatè, concedo: exercite & ex modo tendendi, in quantum fertur in objectum sine admixtâ dubitate & incertitudine, nego min. & conseq.

Ratio 2. p. est: quia in actu libero reperitur notitia eligibilitatis unius rationis pro alia: sed ejusmodi notitia est formale iudicium: ergo ad actum liberum & perfectum voluntatis requiritur iudicium.

Neque dicas: Potest DEUS absque specie intermediâ determinare intellectum ad claram visionem in patria: ergo etiam posset voluntatem beatam

tem Beati per seipsum determinare ad sui amorem absque cognitione pravā.  
Nam Resp. negando conseq. quia divina essentia potest esse & est per seipsam intelligibilis

in actu sine specie superaddita: non autem potest sine representatione intellectuali induere rationem objecti finaliter moventis & specificantis, secundum dicta.

## ARTICULUS II.

## Quomodo voluntas moveat?

## SUMMARI A.

1. *Voluntas executivè movet potentias subiectas.*
2. *Triplicis differentia potentiarum in subiectione ad voluntatem.*
3. *Potentia vegetativa non sunt in arbitrio voluntatis.*
4. *Sensus quoque externi non nisi applicativè & indirectè subsunt arbitrio voluntatis.*
5. *Intellectus in plerisque actibus subiectione voluntati.*
6. *Appetitus sensitivus subiectione voluntati politice non despotice.*
7. *Potentia loco-motiva subiectione appetitui despotice.*
8. *Voluntas executivè movet seipsam.*
9. *Perfèctius est movere directè, quam effectivè.*
10. *Voluntas non habet influxum in alias potentias à suis actibus distinctum.*

## S. I.

## Voluntatis influxus in alias potentias.

**CONCLUSIO prima.** *Voluntas movet alias potentias sibi subditas quoad exercitium in genere cause efficientis.* S. D. I. cit. q. 9. a. 1. Ratio ipsius est: Potentia habens pro objecto finem & bonum universale, movet executivè potentias habentes pro objecto media, vel bona particularia: velut dux in exercitu movet imperio minorum praefectos & milites: sed voluntas habet pro objecto finem, & bonum universale; alia verò potentia subditæ pro objecto habent bona particularia ordinabilia ad illum finem: ergo voluntas executivè movet alias potentias sibi subditas.

Confirmatur. Illa potentia movet alias quoad exercitium, quæ primò movetur à fine: sed voluntas primò movetur à fine: ergò. Maj. probatur. Cum omne agens agat propter finem, principium huius motionis est ex fine: sed non est ex fine nisi per motionem illius potentia, quæ primò movetur à fine: ergo quòd quælibet potentia aliquo modo agat propter finem, habet ex motione voluntatis.

1. Dixi: voluntatem efficienter movere potentias sibi subditas: sunt enim potentia in triplici differentia: aliqua non subduntur in suis actibus voluntatis impulsui: aliqua subsunt ipsius imperio politico, aliqua despotico. Ubi illa dicuntur despotice subijci, quæ absque ulla resistendi facultate ad nutum obediunt, uti servus obedit domino: politice subijciuntur quæ licet pareant imperanti, tamen aliquamdiu volunt resistere, & subinde rebellionem movent imperanti.

Itaque primò potentia pertinentes ad vitam vegetativam quoad suos proprios actus non sunt in arbitrio voluntatis; quamvis enim applicatio materiae sit in potestate voluntatis, hæc tamen se-

mel applicatâ potentia nutritiva, augmentativa; generativa suos actus independenter à voluntate & necessariò exercent; ideoque nec laudis nec vituperii sunt capaces. Cum enim ad suos actus, in quibus non apprehensionem & appetitum rationalem, sed formam & appetitum naturalem sequuntur, sint naturaliter determinatæ, aliâ potentia determinante non indigent.

Neque Dicat: Etiam circa actus vitæ vegetativæ dantur vitia & virtutes, unde & actus abstinentiæ ac castitatis sunt laude digni: ergo etiam isti actus sunt sub regimine voluntatis. Nam Resp. Virtutes & vitia circa actus vitæ vegetativæ non nisi remotè versari; proximè verò circa actus animæ & vitæ sensitivæ: qui ad actus vitæ vegetativæ ulterius ordinantur, & servant mediocritatem in delectationibus cibi, potus &c.

Secundò. Sensus externi, etsi quoad applicationem ad sua objecta mediatè & indirectè pareant voluntati, secundum quam applicationem etiam sunt moraliter boni vel mali [ ut si oculum ab aspectu curioso cohibeas ] tamen immediatè & directè secundum ipsorum actuum elicentiam non pendent à nutu voluntatis, cum sint naturaliter determinati ad suos actus: unde etiam repugnante voluntate extorqueri possunt.

Tertiò. Intellectus exceptâ primâ finis representatione, & subitis apprehensionibus objectorum, quæ non sunt in nostrâ potestate, subiectione imperio voluntatis: neque in cæteris actibus est ex seipso determinatus, ideoque ut liberè fiant, indigent voluntatis determinatione.

Quartò. Appetitus sensitivus in moribus primò primis, qui consequuntur imaginationem & rationem præveniunt, voluntati non subijciuntur, quæ de causâ dixit Apostolus Rom. 7. *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi, malum.* Quoad reliquos tamen actus, sicut etiam quoad continuationem primorum motuum, postquam accessit advertentia rationis subiectione voluntatis imperio, uti dicitur Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius:* passiones quippe appetitus sensitivi aliarum specierum applicatione & objectorum consideratione à ratione impediuntur. Nihilominus ipsa subiectione non est despotica sed politica: quia ut experientia docet, & testatur Apostolus, in naturâ lapsa, & corrupta per peccatum sæpe motus sensualitatis etiam contradicente & repugnante ratione insurgunt, quod inde contingit, quia motus concupiscentia sequuntur sensitivam cognitionem; quæ aliquando per alterationem corpoream rationis imperio nequaquam subiectam excitatur; ideoque illi motus etiam prohibente ratione quandoque perdurant.

Quintò,